B.

Mi dilectissime gener.

Ne expectatione torquearis, aut nos putes languere,
malui hoc scribere, quam non scribere. Eramus modo in
disputatione Theologica inaugurali, ~~post~~ quam habuit
aliquis Advocatus, qui promotus est Doctor Theologiæ.
In eam disputationem venit D. Vorstius: qui habebat
epistolam Maresii ad me, quam legerat ita, ut notas
fecisset in margine. Accepit eam Hoornbeek et
pervolvit. Intellectoque eam prostare, adii bibliopolam
cum D. Sylvio. Uterque ~~fi[illegible]~~ nobis comparavimus
exemplar 2½ stuberis. D. Heidanus judicat
esse scriptum scurrile. et putat nociturum. Ego puto,
nociturum auctori, et iis, qui amant habere occa-
sionem aut ducem ad contemtum mei. Apud eos, qui
sani sunt, nihil obtinebit. Obliqua quaedam sunt
et figurata. Sed tanti ea non sunt, ut propterea
debeam dolere. Promittit scriptum aliud. Id expectandum
est. Audi aliam fabulam. Venit huc Joh. Hogers
Daventriensis gradum petiturus. Locutus est cum D. J. H.
Is ab initio civiliter cum ipso egit. Cum nomen audivisset,
statim dixit, inidoneum esse ad gradum accipiendum.
Altera vice reversus mandato Decani, negavit se
velle ipsum examinare. Tertia vice, cum Decanus
per ipsum moneret, ut postridie (i.e. hodie) ad septi-
mam matutinam adesset examini, faventer respondit
et hodie adfuit, et leniter egit, et nobiscum admisit
ad secundum examen. Ego hoc deposito mense Aprili.
Sed contine id apud te. Vale. orate Deum. Parentes
salveant. Dabam 30. Aprilis 1663.

Tui amantissimus

Joh. Coccejus.

Reverendo & doctissimo
Viro D. Guilielmo
Anslaar V. D. M.
Bieselinge.

Middelburgh ten huyse
van Mr H. Jacobus Anslaar
bedienaar des Godlijken
woords.